



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

Precatio ad Deum, Dominum rerum omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

P R E C A T I O

Ad Deū, Dominū rerum omnium.

Ex lib. 10. de Perfect. cap. 7.

EXaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomen tuum in seculum, & in seculum seculi. Tu enim es Rex regum, & Dominus dominantium. In ditione tua uniuersa sunt posita, & non est qui possit resistere uoluntati tue, Ordinatione tua perseuerant omnia, & legem quam eis posuisti, custodiunt; & singula pro captu & modo suo seruiunt tibi, teque Rectorem ac Dominum confitentur. Summum in omnia tenes imperium, potesque de omnibus pro arbitratu tuo statuere, nec quisquam à te factorum exigere potest rationem, & dicere, Cur sic facis? Omnes Reges & Monarchæ terrarum cum omni splendore & magnificentia sua, cum

cum Regnis & exercitibus suis,
cū diuitijs & gloria sua, veluti ter-
ræ vermiculi sunt coram te, & in-
star nihili in conspectu tuo. Mi-
nimi seruatorum tuorum qui in cæ-
lesti palatio tibi seruiunt, longè
sunt maiores omnibus illis; nec
quisquam illorum, maiestatem
vultus vnus ex istis sustinere
posset: Contabescit enim instar
ceræ mortalitas omnis ad præsen-
tiam Angelici splendoris, & vi-
ribus defecta concidit. Quanta er-
go est gloria maiestatis tuæ, quæ
omni Angelica maiestate infinitè
est maior & excellentior? Verè
tu *magnus Dominus & laudabilis*
nimis, & magnitudinis tuæ non est fi-
nis. Regnum tuum, regnū omnium sæ-
culorum, & dominatio tua in omni ge-
neratione & generationem. Reges ter-
ræ & regna eorū repentè corruent,
& ad nihilum redigentur: regnum
autem tuum in æternum stabit,

& omnes inimici tui subijcientur pedibus tuis. Exscindetur funditus regnum diaboli & impiorum quo nunc turbatur orbis, quo veritas & iustitia opprimitur; & regnum tuum omnibus dominabitur, eris- que omnia in omnibus. Figmentum tuum sumus omnes, & opus manuum tuarum; tu plastes & factus noster: quidquid sumus, possumus, habemus, à te accepimus, tua sunt omnia, qui omnium es artifex & inuentor. Omnia de nihilo extraxisti, ex profundo tenebrarum, & abyssu non-entis. Suspendisti ea in esse, in lumine vultus tui; vt singula iuxta species & formas suas fulgeant mentibus nostris, tuamque maiestatem in- finient. Sed quia suoapte nutu & ex se, in nihilum vnde educta sunt, propendent; non satis est id semel esse factum, sed assiduè manu tua teneri, & substantifico influxu tuo
foueri

foueri opus habent, vt beneficium, quod semel cum esse inciperent acceperunt, omnibus momentis rursus accipiant. Sicut pondus in aëre suspensum assidue teneri debet, & si vel ad ictum oculi dimitatur sibi, deorsum ruit: ita tota creaturarum vniuersitas, omnipotenti dextra tua continuè in esse & natura teneri debet; & si vel ad momentum laxaueris manum tuā, statim in nihilum suum corruet, & velut vmbra peribit.

Nihil est solidi vel in corporibus, vel in spiritibus, nisi quatenus virtus tua intrinsecus ea continet & constringit, ne veluti aqua diffluant, vel tamquam fumus dissipentur, vel vt visum quoddam & phantasma inane euanescant. Omnia mollia sunt tibi & tractabilia, omnia fluxa & euanida, & minimo nutu imperij tui in quamuis formabilia speciem. Nulla coram

Hiiij. te est.

te est soliditas montium & saxo-
rum, nulla durities ferri & adaman-
tum, nulla firmitas cælorum & a-
strorum ; nihil horum sine perpe-
tuo influxu & motuque lucis tuæ con-
sistere potest. Tu ergo omnium
Dominus, à quo assiduè fiunt
& pendent omnia ; qui omnia su-
stentas ne corruant, foveas ne
tabescant, contines ne diffluant,
constringis ne dispereant.

Tu omnium inuentor, auctor,
formator, conseruator, sustentator,
exemplar & finis. Propter te
sunt omnia vt seruiant gloriæ tuæ ;
rationalia, vt te cognoscant, ament,
colant & laudent ; irrationalia,
vt vsibus nostris seruiant, & sua ad-
mirabili specie mentes nostras
in admirationem & amorem tui
excitent. Neque ideò viliores aut
miserabiliores sumus, quia prop-
ter te sumus, & omnia nostra ad
tuam gloriam destinantur. Hæc
enim

enim est natura nostra, hoc summum bonum nostrum, gloriæ seruire tuæ. Tibi enim seruire, regnare est; tibi obedire, iter viæ æternæ. Melius est tibi seruire, quam totius mundi tenere imperium. Dum enim obsequio tuo mens nostra intendit, sursum erigitur, seseque in vnitatem colligit, tibi que propior effecta illuminatur, & similis tui efficitur: dum alijs regendis incumbit, ab vnione recedit, ad inferiora descendit, & in multitudinem dissipatur; neque aliquid inuenit, cuius coniunctione melior euadat. Nihil enim meliorē efficit mentem, nisi quod est supra mentē.

Magna fascinatio mortalium, tātopere æstimare & sitire Imperia, Regna, gubernationes & Prælaturas, quibus alijs præsent, & seipfos negligant; nihil non agere, ius omne & fas proterere, vt assequantur hanc vmbra[m] felicitatis, veri boni
& sa

& salutis æternæ impedimentum. Nihil enim est quod vel animum magis auocet à cælestibus, & implicet terrenis; vel maiorem peccatorum suppedit occasionem, vel effrænatiorem tribuat peccandi licentiam, vel ampliorem exequendi copiam, vel salutare magis arceat monitores, vel magis aggrauet peccatorum culpam, vel magis oneret peccatis alienis; quàm Principatus & Prælatura. Quamquam qui non honoris & commodi sui causa, sed vt bono publico profint, & plurimos ad salutem dirigant, eam susceperint & ritè administrauerint, magnum præmium ob rei difficultatem, & boni quod procurant amplitudinem, à te consequentur. Sed longè tutius est in imo delitescere, & suæ salutis curam agere. Da mihi Domine, laudes humanas contemnere, honorem mundi fugere, & amare

& amare nesciri ab hominibus.
Satis mihi sit nosse te, & cognosci
vicissim abs te: seruire tibi, &
seruitutem tui omnibus mundi
Imperijs anteponere, omnibus di-
gnitatibus & honoribus præferre.
Hæc sit gloria mea, hæc eminentia
& sublimitas, hæc omnis dignitatis
titulus & insigne. Glorientur alij
de Regnis & Principatibus, de no-
bilitate & opibus, ceterisque hu-
ius vitæ excellentijs; mea gloria
sit, esse seruum tuum, & omnia
mea esse addicta & mancipata
tibi; & omnes meas cogitationes,
omnes curas, omnes conatus, omnia
studia seruire gloriæ tuæ.

H 6 CONSI